

aqua, millies, quam terra. Si ergo Sol, tanto minor, interposita Lunæ sphæra, et ignis huius, et æris sphæris, Æthiopiæ, et Lybiæ interiores regiones ita suo calore adurit, atque exurit, ut deserta omnia reddat? Quanto timendum magis esset, carbonem plusquam octingentis Sole maiorem, et nobis proximiorē longe, cuncta in cinerem fuisse iam olim redacturum. Sed neque id evenit, neque id time-

mus, neque ab eo calefimus, neque illuminamur, neque lumen ab eo ullum emicat, neque lucet. Secure ergo concludendum, nullum ignem uti carbonem sub Luna, supraque ærem esse.

Quid vero si flamma dicatur esse? Si flamma sit, necessario ardet, si ardet lucet; si lucet, lumen de se dat, si lumen dat illuminat, si illuminat, etiam calorem de se reddit. Alia methodo, si flamma est, ardet; si ardet incendit, si incendit adurit, et comburit. Et longe quidem, et facilius, citius, flammam videmus apud nos hæc omnia facere, quam anthracem, qui sensim, et occulto se se lignis et materiebus infert, et insinuat. Flamma vero, et manifeste, in materias insilit, easque corripit facillime, et citissime etiam depascit, et pascendo, alia se ipsam auget si liceret, usque infinitum. Multis ergo iam seculis, flamma hæc tam ingens, et Sole plusquam octingentis et terra, millies maior, omnia nostraria, omnia elementa tria reliqua, nedum in cineres, sed in nihilum vertisset. At adhuc perstant, qualia a Conditore ab initio sunt constituta. Non ergo supra aerem, infra Lunam, ulla est edax flamma. Neque enim

conspicitur, neque alio sensu, sentitur ullo. Neque ullum de se apud nos edit effectum. Nulla ergo ibi flamma.

Si vero dicatur, flammam quidem esse, sed non edacem, non consumptricem, qualis flamma, ex vetustissimorum dogmate est æther. Iam est dicemus nos, vel æther alius, vel æthereæ naturæ, ætherearumque, et qualitatum, et proprietatum. Si alius æther est, cur non idem cum reliquo est æthere? Ratio segregationis naturæ eiusdem a se ipsa fuerit, saltem probabilis reddenda. Si alius æther non est, sed æthereæ, et naturæ, et qualitatum, et proprietatum, iam duo ætheres erunt. Ille quidem priscus, et de se protulit, et gerit, et nutrit astra. Hic vero iunior, quid facit? Ociosum ne corpus tantum, sedet? At nihil ociosum fert, aut suffert natura. Et qua ratione, eisdem et natura, et qualitibus, et proprietatibus, non etiam æthereas edet actiones? Astra, si non aliud, saltem gerat. At nulla gerit, ociosus ergo. Ociosum ex entibus eximit natura, eximit Conditore Deus, qui nihil frustra fecit, nihil facit ociosum. Nullus ergo supra aerem, infra Lunam, est alius æther, nulla alia ætheris natura. Neque terrius est ignis, φῶς, lux. Luceret enim, et lumen ederet, et nos illuminaret. Cumque ærem dicatur in suprema eius superficie convexa circumplecti, idque semper, nulla in ærem obscuritas, nulla nox ingrueret, nullam nos noctem, nullas tenebras sentiremus. At quotidie, nox aerem ingruit, nos obtenebrat, nullus ergo aerem ignis lux ambit nullus infra Lunam ignis lux, lucet. Si neque ibi anthrax, neque flamma, neque φῶς, quæ tres erant ignis species infra Lunam, supraque ærem rationes hæc satis et multæ et validæ demonstrarunt, reperiatur nullus ignis ibi erit. Et ex supra allatis Aristotelis inconstantibus, illa verior fuerit, nullum revera ibi ignem esse, sed ex consuetudine ignem appellari tantum.

Sed quoniam corpori huic supra ærem, et infra Lunam uti ipsi crediderunt posito, et Ocellus, eius primus author, et Empedocles, et Hippocrates, et post eos Aristoteles, elementi nomen, sicuti aeri, et aquæ, et terræ tribuere, secunda velitatione, an is ignis, quando ibi esse reperiatur, elementum esse possit, cognoscamus. At elementum, quidnam est? Elementum Aristoteles, deffiniivit, non uno modo; hoc tamen semper significato, ut elementum diceretur id, ex quo primo inexistente, res ipsa constat. Aliter. Elementa dicuntur, ea in quæ ultima corpus resolvitur. Quod eadem cum priore sententia dicitur. Nos vero duplex elementi munus agnoscimus. Vel enim compositionis pars est, vel pars est mistionis. Empyreus, æther, ær, aqua, terra, mundanæ compositionis sunt elementa, in se integra. In quæ ultima, universum partiri potest. Eadem forte, in mistis corporibus, sunt mistionis elementa. Corpora autem mista, vocavere veteres, quatuor non integris, sed refractis